

007

Paul.

eis palma erit. ubi iam mortis contentio non erit. Nam predicator egre-  
 gius. tunc aspectu palmam ueram uincens. dari cum resurrectione prouidit  
 mortuam fieri sicut dicit. Oportet enim corruptibile hoc induere incor-  
 ruptibile. et mortale hoc induere immortalitate. Cum autem mortale hoc  
 induerit immortalitate. tunc fiet sermo qui scriptus est. Absorta est mors in uic-  
 toria. ubi est mors uictoria tua. ubi est mors stimulus tuus. Te ergo erit per-  
 fecta uictoria. cum mors plene fuerit absorta. In omne autem quod in mirabiliter  
 de signis agi conspicimus. non iam ipsam uictoriam sed adhuc imagines uictorie ui-  
 demus. Quia ergo plerumque sancti. et in locis sublimioribus positus. ut ad bona  
 opera alii prouocent. uirtutes et signa dantur. ante frontes edificii interioris.  
 palmarum pictura ostendit. Hec hodierna die tractata sufficiant. ut ad ea  
 que sub iuncta sunt. ualentiores adiuuante domino nostro ihesu christo ueniam. qui  
 uiuit et regnat cum patre in unitate spiritus sancti deus per omnia secula seculorum. Amen.

EXPLICIT OMBELIA .XVI. INCIPIT .XVII.

ad p gazophilacia.

questio.

sol.

filaxe.  
Gaza.

**P**OST QUAM DE CONTEMPLATIONIS GRATIA. OBLIQUAS FENESTRAS  
 insinuans. propheta multa locutus est. eductum se exterius dicit. et galosilacia  
 uidisse commemorat. In quibus galosilacius quod aliud. quam doctorum scientia  
 designat. Sed recte hac in re queri potest. cum doctores sancti spiritualia atque interna  
 doceant. cur propheta eductum se exterius dicit. et galosilacia foris uidisse. Sed  
 sciendum est. quia alia est contemplatio que tantum uidet. quantum dicere non  
 ualeat. alia uero scientia atque doctrina. que tantum uidet. quantum exprimere per  
 linguam possit. In contemplatione enim ueri luminis. quia uoce exprimi  
 non potest. quasi totum hoc foris est. quod exprimi uoce potest. At utique. **E**t  
 eduxit me ad atrium exterius. et ecce galosilacia. et pauimentum stratum  
 lapide in atrio per circuitum. quia sermone greco filaxe seruari dicitur. et gala  
 lingua pfica diuitiis uocantur. Galosilatium locus appellari solet. quod diuitias